

DISPUTATIO PHILOSOPHICA

De

MOTU.

Quam

COELESTI ADSPIRANTE FAVORE,

Ac adprobante Ampliff. Facult. Philos.
in Regia, quæ ad Auram floret,
Academia,

PRÆSIDE

VIRO

Praclarissimo Domino,

M. DAVIDE £ BND/

Poëfios Professore Ordinario, Fac. Phil.
Dec. Reg. Al. h. a. Insp. Præceptore &
Meccenate magno.

Bonorum examini sistit

JOHAN. JOH. PHOENIX,
OSTROGOTHUS.

ad diem 11 Junij Anni reparate salutis

M. DC. LXXXIX.

In Audit. Max. horis ab octava matutinis.

ABOÆ,

Impr. apud JOH. L. WALLIUM, A. T.

VIRIS

Pl. Reuerendis & Clarissimis

DN. JOHANNI PHOENIX,
Pastori in Wimmerby & Pelarna/
nec non Territorium Sefweda
Zuhnlans & Aspoland; Præposito
meritissimo, Patri suo cha-
rissimo,

M. ERICO PHOENIX,
In Gymn. Lincop. S.S. Theol. Lectori,
Consist. Adfessori, Pastori & Præposito
in Slaaga; Patruo suo omni reve-
rentiæ cultu prosequendo.

FRATRIBUS *bac serie, Natis.*



*Q*uod vobis offero, munus u-
nius assis, vix excedit pre-
tium, est tamen auro pu-
rissimo & gemmis omnibus nobiliss.
illo

Illorum enim terra salutat mater, hoc
verò è grata mentis sacrario est prolatũ.
Non enim mihi fuit animus, non copia,
talibus Vos colere muneribus, qualibus
Alexandrum Magnum Bagophanes ille
Babylonius excepit; sed ut illa, quæ gra-
titudinis insignia præ se ferunt, ad pedes
vestros deponerẽ, sollicitè laboravi. Sva-
dent hoc, quæ in me omni tempore contu-
listis, beneficia Paterna, h. e. summa. Illud
vero animum in diversa trahit, quod tot
vestrae in me benignitatis monumenta vi-
dentur mihi injungere, ne præsentì hoc
atque exiguo munere in conspectum ve-
strum veniam. Dum enim ista omnia in
memoriam revoco, cuncta, quæ volvo
officia, illis apparent inferiora. Ita simul
letitia summa perfundor & multa solli-
citudine hæreo. Gaudeo, inquam exul-
toq; quod dignum me judicare voluistis,
quem tot beneficiis ornaretis, vita vide-
licet, ætate & annis, quæ sane, divina
pro

providentia curâ, à Vobis habeo cuncta.
Tot tantisq; vestris auctus donis, merito
doleam, quia non habeo, quæ in vicem il-
lorum vobis rependam, aut dignæ grati-
tudinis loco sistam. Interpretabitur ta-
men devotum meum animum, donec
gratius in venero, munus hocce chartace-
um. Accipite illud Parens & Patruæ cha-
riss; accipite inquam fronte serena, ma-
nu benevola, ut studiorum meorum Aca-
demicorum primitias, quas gratisissima
mens affectu in præsentia inexplicabili,
offert. Deus Vos in longam conservet
ætatem, salvos & incolumes, quo gau-
deant anni mei, & exultent studia, ita,
ut tandem maturitate spadem, in Dei
gloriam, Vobis monstrare queant foetum.
Sic Vos valere jubet

Dn. Patris, & Patruî charissimorum

Filius & cultor ad cineres obe-
dientissimus

JOHANNES PHOENIX,
Auct. & Resp.

SECTIO PRIOR,

*Indolem motus, ejusdemque existentiam cum
præcognitis necessariis, definitione tam no-
minali, quam reali & divisione convenien-
ti exhibens, sed breviter cuncta, singula
paucis.*

TH. I.

Motu quid notius, cum tamen vix
quidquam veletiam doctissimis,
& omni eruditionis genere splen-
didissimis ingeniis ignotius motu? Cœ-
li ornamenta, lumina mundi, faces o-
lympi fidera ipsa, semper in continuos
gyros aguntur, vorticesq; suos celerita-
te mira absolunt, beneficio solius mo-
tus. Nunc superas affectat sedes, nunc ad
ima usque terræ, fulmine terribili de-
primitur ille elementorum velocissi-
mus ignis, non ob aliud, quam pro-
pter motum. Fluctibus crebris maria
littora pulsant, ripas undis ferventibus,
cataractis altis flumina quatunt. Nunc
ad fidera vela tollit, nunc ad abyf-
sum usq; carbasa deprimit, immitis Tri-
ton, vi solius motus. Miramur certe
solertiam e quorum, pernicitatem ca-
num,

num, & promptitudinem omnium omnino animantium, haud sine stupore intuemur quotidie. Movetur totus homo, membra exultant, suo motu tripudiant, & pars minima saliens motus vim, nescio quâ naturæ providentiâ, clarissimè exhibet. Hæc omnia aperte docent, clarè, inquam, demonstrant, in rerum hoc pulcherrimo theatro, fictam non agere personam motum; aperte dicam, non esse comminiscens cujusdam ingenii fœtum, sed ipsius naturæ prolem. Sed animadvertunt omnes equidem motum, motus verò indolem paucis assequi datum est. Hinc tot sententiarum divortia, opinionum plaustra, in regni Physici triviis ubiq; occurrunt. Tanta enim sunt mysteria motus, ut ea divinum Aristotelis ingenium, acumen Platonis, & ipsius Cartesii subtilitatem longè superent. Qui omnes de motu cognoscendo maximè fuerunt solliciti, ex quibus nos instar apum, optima excerpemus, eaq; paucis aperiemus, ut, quibus rationibus

onibus innitatur in hoc negotio, absq;
difficultate cognosci queat.

TH. 2.

Imis vero sensibus motum dum re-
ponimus, & candida mentis coticula
interiora eruere volumus, omnium
primum deprehendimus & cognosci-
mus, motum non esse *nihil*, quod in
rebus nullum locum habet, sed *aliquid*,
quia in se, & per se habet essentiam
realem & positivam, extraq; intelle-
ctum operantem revera existit, licet
motum omnes homines ignorarent;
nam moventur semper corpora natu-
ralia, motu vel violento vel physico,
etiam ipsis hoc nescientibus.

TH. 3.

Omnis vero entis est scientia, *quiddi-*
t. 16 enim dicit ens cum respectu ad co-
gnitionem nostram, quatenus cogno-
scimus quid sit (α) h. e. id quod reve-
ra est, fit *accidentaliter* objectum intel-
lectus (β) & quoniam demonstravi-

A 2

mus

α M. Thuron. Coll. Met. p. gen. c. 3. tb. 10. p. m.
86. β Form. Met. p. gen. l. 1. c. 2. part. 4. p. m. 50.

mus (th. 1. & 2.) motum esse in numero entium, non est tale quid, quod neque cognosci, neque sensibus percipi potest, sed quod se nobis sistit spectandum, tam in *esse reali*, quam in *in esse cognito*.

TH. 4.

Quod autem cognoscere debemus, illud ut in intellectu concipiamus, & cum intellectu jungamus, necessitate quadam cogimur. Quomodo vero id fiat? Minime quoad *esse reale*, nam sic si considerare vellem cœlum, cœlum, quod totum mundum claudit, intra cranii terminos includerem, quod omnino impossibile & à nemine unquam factum: & si vellem considerare elephantis motum, illum in intellectu meo haberem, essetque ille in pluribus *ubi* eodem tempore, nimirum in elephanto & in mente mea, quod ἀσφον est, unum enim corpus naturale non potest esse simul in duobus locis (α) inde nec eius affectio: quomodo ergo id fiat? Necessse itaque est, ut motum repræsentemus

temus intellectui, per speciem sensibilem seu imaginem, ut ille eum apprehendat, cognoscat indolemque ejus aperiat. De qua re egregie admodum differit Excellentissimus Dominus Mag. WANOCIUS (*a*) *substantia*, inquit, *non sentiuntur, quatenus sunt substantia, sed quia qualitatibus sensibilibus prædita & rationem formalem objecti sensibilis in se continent*: idem judicium esto de motu, licet accidens sit, quod ita etiam cognosci debere innuit Celeberrimus ante nominatus Professor, dum ad allata verba illustranda, *colorem* producit.

TH. 5.

Concipimus ergo primum motum *individuum*, videmus enim quod movetur hic equus, hæc stella, homo, arbor, ventus, hic ignis; sed motum sic consideratum adhuc non facimus objectum intellectus, cum de eo dicatur *hoc aliquid & nunc*, quæ proprietates sunt individuum, Teste Maxime Reverendo Dn. Doct. JACOBO FLACH-SENIO

SENIO (a) & individua tam substantialia quam accidentalia, sint innumera, quæ propterea ab intellectu exhauriri non possunt, (β) hinc individuorum nulla scientia. (γ)

TH. 6.

Necesse ergò est, ut ab omnibus individuis abstrahamus motum, non tamen exclusive, sed precise h. e. talem formemus motus conceptum, qui ab omnibus individuis est abstractus, non re sed ratione, atq; in hoc statu, motus vera est objectum intellectus, circa quod vires nostras possumus periclitari.

TH. 7.

Ita tamen abstrahimus motum ab omnibus individuis, ut possit prædicari de omni motu, qui est *hic, aliquis & nunc*, adeo ut motus canis rectè vocetur motus, & dicere queam, motus hujus equi est motus. Quæ ex subtilitatum fontibus hausta heic apposui, cum

α Coll. Log. præm. c. 3. Sect. 1. Theo. th. 8. p. m. 97. β From. Met. part. gen. l. 1. c. 1. p. 4. p. m. 36. γ Arist. 2. Rhet. c. 2. Contr. Dial. præm. p. m. 9.

cum maxima obvenire soleant obstacula, propter solam ignorantiam *statuum*, ut e. g. si quis diceret, motus nulla est scientia quia infinitus: ad illam objectionem quid respondendum foret, nisi nota esset distinctio, inter *statum fundamentalem* & *Universalem*, non liquet.

TH. 8.

Apposita hæc etiam sunt eorum causa potissimum, qui hos *status* vel ignorant, vel etiam ignorare student, variis calumniarum verberibus illos mactantes Philosophos, qui abstrahere didicerunt. Sed *ars non habet osorem nisi ignorantem*. Ideo vero repudiant hos *status*, quia vident philosophiam, quam sectantur, aliquid detrimenti hinc capturam, cum semper à *particularibus ad universalis* argumententur, de qua re, videatur elegantissimus Scoockii libellus. Nos autem istis missis, ad interiora hujus argumenti nos conferimus.

9.

Nunc itaq; altius exspatiari lubet, &

ipsius *generis* indolem accuratius inquire-
 re, quapropter exordimur à defini-
 tione motus, siquidem à definitione
 rei, pendeat omnis scientia & notitia e-
 jusdem. Variæ vero heic occurrunt de-
 finitiones, quas tamen plerasq; omitti-
 mus, attingentes saltem definitionem
 Aristotelis, Sperlingii, & sectatorum
 novæ Philosophiæ; qui diversas fove-
 runt opiniones, ideoq; diversas defini-
 tiones fabricarunt.

ΤΗ. ΙΟ.

Motum ita definit Aristoteles (α)
 ἡ κίνησις ἐστὶν ἐντελέχεια τῆς δυνάμει ὄντος
 ἢ τοῦτιν. h. e. ut vertit stierius (β) *Mo-
 tus est actus ejus, quod in potentia est, qua-
 tenus tale.* Quam definitionem valde
 obscuram esse, neminem latet, ut vix
 sciant ipsi Interpretes, quid Pater eo-
 rum intenderit, dum illam fabri-
 caverat. Verum non rejicien-
 dam putarem, cum tanti sit viri, ni-
 si didicissem ex Collegio Logico lau-
 dati modo Doctoris Gravissimi Dn. JA-
 COBI

9
COBI FLACHSENI, omnem definitionem de-
bere constare verbis propriis, perspicuis & de-
terminatis (a) illam igitur illis relin-
quo, qui verbis obscuris & ænigmati-
cis locutionibus mirum in modum de-
lectantur, omnem doctrinam positam
arbitrantes in spinosis & perplexis ver-
borum nodis, quibus ex iudicio sapi-
entum, involvitur, non vero explicatur
veritas.

TH. II.

Cartesius vero, ille antiquæ Philo-
sophiæ censor gravissimus, hunc in
modum motum definit: (β) *Motus est*
actio, quâ corpus aliquod ex uno loco in al-
ium migrat, sed quia dicit, hæc nimis
vulgaris, aliam, quam ipse approbat,
ita construit: Motus est translatio unius
partis materie, sive unius corporis, ex vi-
cinia eorum corporum, quæ illud immedia-
te contingunt, & tanquam quiescentia spe-
ctantur, in viciniam aliorum. Quas de-

A5

fini-

a part. 1. Sect. 3. Ax. c. 24. can. 2. p. m. 601. β
Princip. Phil. part. 2. §. 24. & 25. p. m. 32.

definitiones in totum improbare non licet, quum si recte explicentur, egregie motus indolem aperiunt.

TH. 12.

Adeamus vero nunc Clariss. Sperlingium, & quam ille construit definitionem motus audiamus: sunt hæc illius verba: *Motus est affectio corporis naturalis disjuncta, qua illud alium atq̄ alium acquirit locum.* Hanc definitionem nos amplectimur, sequentibus eam explicaturi.

TH. 13.

Veluti Fons hæc definitio in duos fluvios dividitur, dum attenditur λόγος ὀνοματώδης & πραγματώδης Pragmatologia iterum sistit genus & differentiam, quibus quæ constat definitio commodis, bona est, & ex verbis perspicuis ac claris, probanda, cumq̄ *materie* indolem declarat, laudanda est, at hæc nostra definitio talis est. E. Verum de paulo ante memoratis definitionis mēbris, pauca proferre lubet.

quod

TH. 14,

Quod ad definitum; spectamus illud cum sua originatione, *πλησιμιά & συνωνυμία*. Originationem quæ, quoniam cuivis, qui vel labris primis ac extremis præcepta grammatices gustaverit, obvia est, mittimus, ut pergamus ad æquivocationem. Accipitur verò Motus vel *Philologice* seu *adjective* vel *Philosophicè* seu *substantivè*. Illo modo denotat quamvis mutationem, ut cum dicimus: *motus dolore, letitia, misericordia &c.* in hoc verò sensu *Philosophico* accipitur i. *generaliter*, prout comprehendit sub se generationem, corruptionem, augmentationem, diminutionem & localem: vel *specialiter*, prout nos heic accipimus saltem pro locali, cuius Synonymum Græcum est *κίνησις*.

TH. 15.

Genus in data definitione posuimus affectionem, quam legitimum genus sequenti syllogismo probamus: Quod cunq; prædicatur de pluribus speciebus *συνονύμως* (α) est suo definito essentialiale

α *Arist. Top. 8. c. 8.*

tiale (α); est latius (β); est ejusdem prædicamenti cum suo definito (γ); illud est legitimum genus: at affectio sic prædicatur de motu, quia (α) de motu prædicatur *συνώνυμος*, rectè enim dico, motus est affectio, (β) est definito suo essenziale, nam tolle affectionem, tollitur etiam motus, (γ) est latius, quia sub affectionis scuto, latitant etiam qualitas, quantitas, quies, tempus, (δ) est ejusdem prædicamenti cum suo definito, nam motus est in prædicamento qualitatis, cujus etiam categoriam ingreditur motus. Hinc conclusionem formamus infallibilem, quod affectio sit motus legitimum genus.

TH. 16.

Additur in definitione vox disjuncta, quâ indicatur, quod non in sensu unito cum C. N. reciprocetur, eò quod motus non cadat in omnes CN. species, quædam enim quietem amant, sed sub

com-

α Meis. Phil. sob. p. 1. l. 1. c. 1. *β* Conradus in præim. log. *γ* Scarf. man. log. l. 1. c. 2.

complexu utriusq; distinctionis membri, Omne namq; CN. movetur aut quiescit. Affectiones vero disjunctæ, ut notat Frommiius (α) sunt tales, ut una pars huic, altera alii conveniat enti, sed sub diversa consideratione.

TH. 17.

Ut vero heic evitetur omnis absurditas, & natura motus eò melius innotescat, paucis indolem affectionis indicabimus. Affectiones duplices statuunt 1. *prædicamentales* & 2. *transcendentales* (β) quæ sunt conceptus entis generalissimi &c. quas nostras nunc non facimus, sed ad fontes subtilitatum scientiæ Catholicæ ablegamus, intra terminos Physicos manentes. Est itaque motus affectio prædicamentalis (alias in abstractissima sua natura, motus est ens & suas habet affectiones) quæ omni, soli C.N. πρώτως inest, & realiter ab ipso subjecto distingvitur.

Th. 18.

α *Met. p. gen. l. 2. c. 10. probl. 1.* β *Turon. Coll. Met. part. gen. tract. post. membr. prior. th. 1.*

Sed objiceret quis contra genus: Genus cum suo definito erit ejusdem prædicamenti: At motus & affectio non sunt ejusdē prædicamenti, motus enim est in *prædicamento actionis*, nam dum deprehendo motū, statim præsuppono actionē affectio v. est in prædicamēto qualitatis, nam diversitas est solius qualitatis (a) affectiones sunt diversæ E. Verum pauca ex Svicero (a) huc apponere lubet. Motus tripliciter accipiatur. 1. prout procedit à movente & sic vocatur *actio*. 2. Prout recipitur in mobili, & sic est *passio*. 3. Prout est in corpore moto, à movente separato. Breviter nos: Motus accipitur vel *abstractive* vel *concretive*, si *concretive* tum est in prædicamento actionis, siquidem agit propter substantiam, cui inhæret, si *abstractive*, sine ulla *σκέσει* ad subjectum, ad nullum referri potest commodius prædicamentum, quam qualitatis. Qui-
bus

a Conrad. in præm. Dial. p. m. 19.

bus notatis, non est difficile ad argumentum allatum respondere.

TH. 19.

Laboravimus hæctenus in explicati-
one *materia* hujus definitionis, idque
quantum ingenii imbecillitas permisit,
quam clarissime facere conati sumus;
ordo itaq; nunc in doctorum palladiis
receptus & approbatus postulat, ut et-
iam brevissimis lineis ejus *formale* eruamus
& ad regulas Logicorum exami-
nemus.

TH. 20.

Formale exprimitur sequentibus
verbis: *qua illud alium atq; alium acqui-
rit locum.* Quæ ideo bona est differen-
tia, quia genus dividit & speciem con-
stituit: dividit enim affectiones & spe-
ciem constituit motus, eamq; constitu-
tam ab omnibus aliis *essentialiter* distin-
guit à qualitate videlicet, quantitate
tempore & quiete, quâ corpus in loco
suo permanet. Hæc etiam differentia,
motu angelos & animam humanam
privat, de qua re postea amplior dispu-
tandi campus aperietur.

Tb.

TH. 21.

Absoluta sic definitione, ejusq; explicationi fastigio imposito, quid impedit, quò minus directe non feramur ad divisionem motus. Sed variæ hic occurrunt divisiones, quæ à viris sapientissimis diversæ sententiæ, defenduntur atq; propugnantur. Nos itaq; salvis omnium authoritatibus, hac in ardua materia, sequi illos consultissimum duximus, qui motum dividunt in *Physicum* & *violentum*: *Physicum* vero in *naturalem absolute*, & *naturalem secundum quid*; propterea, quod in ipsa re habeat fundamentum, & perspicua fit imò clarissima. Quas alias tradunt divisiones sunt magis accidentales, & nullus datur motus, qui non sit vel violentus vel naturalis.

TH. 22.

Motus naturalis est, qui à causa interna oritur, ut motus ignis sursum, sponteq; , motu naturali, varia occupant loca animalia. *Pure naturalis est qui provenit à principio naturali ad unum motum*

motum determinato, sic ignis motus sursum, aquæ deorsum est purè naturalis, quia naturâ ad hunc motum determinantur. Motus vero naturalis secundum quid, seu motus animalis, fit in animalibus â facultate locomotiva, mediantibus musculis & spiritibus animalibus, sic motus hominis est naturalis. (a)

TH. 23.

Motus verò violentus est; *qui fit ab agente externo, ita quidem, ut repugnet mobili, quod per vim detrudatur.* Reliquas quas afferunt divisiones motus, brevitatis studiosi præterimus, qui tn. eas desiderat, potest petere ex Sperlingio, Stierio & aliis Physicis, quos tanquam veritatis professores venerari decet.

TH. 24.

Anteqvam verò claudamus sectionem hanc priorem, haud inconsultum erit, nonnulla ex Svicero Philosopho Aristotelico-Cartesiano, adducere, quæ in omni motu, tam violento quam naturali requiruntur, utpote 1. *Movens,*
B
est

Stierius. Tab: Phys. Tract: 2. p. gen. c. 1. p. 7.

est id, quod movet, *in motu naturali causa interna seu forma, in violento externum aliquod agens.* 2. *Mobile est corpus quod movetur, in motu naturali materia, in motu violento totum aliquod corpus.* 3. *Terminus à quo, est vicinia corporum, quæ deseritur.* 4. *Terminus ad quem, est vicinia corporum, in quam corpus pervenit.* 5. *Successio deniq; illa latio, quâ mobile, in diversis ambientium partibus, assidue applicatur aliter atq; aliter, seu mutatio unius loci & occupatio alterius.*

SECTIO POSTERIOR,

Offerens quæstiones nonnullas, quibus adversariorum argumenta & proponuntur & diluuntur.

QVÆSTIO I.

An motus sit principium C. N. ut quidam volunt? Neg:

Affirmativam tuetur, adeoq; nobis adversus Cartesius, cum formam substantialem negaverit, ejusque in locum substituerit motum localem, tanquam principium constitutivum. Ipse enim fatetur in epistola sua ad Gallicum Interpretem: se clarissima rerum corpo-

corporearum seu Physicarum] principia deduxisse 1. Dari scilicet corpora in longum, latum & profundum extensa, 2. variis figuris prædita. 3. quæ diversimode moveantur. Habes hic, inquit Cartesius, summam omnia principia, ex quibus veritatem aliarum rerum deduco. Iterum dicit (a) Materia itaq; in toto universo una & eadem existit, utpote quæ omnis per hoc unum tantum cognoscitur, quod sit extensa. Omnesq; proprietates, quas in ea clare percipimus, ad hoc unum reducuntur, quod sit partibilis & mobilis secundum partes, & proinde capax illarum omnium affectionum, quas ex ejus partium motu posse sequi percipimus. Partitio enim, quæ fit sola cogitatione; nihil mutat, sed omnis materia variatio sive omnium ejus formarum diversitas pendet à motu. Quod etiam à Philosophis videtur fuisse animadversum: quia dixerunt naturam esse principium motus & quietis. Tunc enim per naturam intellexerunt, id per quod res omnes corporeæ tales evadunt, quales ipsas esse experimur. Et rursus §. 64. pag. 49. sic infit

B 2

Car-

a. Princip: Philos. part: 2. §. 23. p. m. 32.

Cartesius; *Plane profiteor me, nullam aliam rerum corporarum materiam agnoscere, quam illam omnimode divisibilem, figurabilem; & nihil plane in ipsa considerare, præter istas divisiones, figuras & motus.* Claudit secundam partem his verbis: *nulla alia Physica principia puro esse admittenda, nec alia etiam optanda.* Hæc fuere Cartesii verba, ex quibus facillime potest judicari illum ponere motum principium constitutivum, cum eum dicit esse causam formæ, quæ nobis principium est. Cum quo suo Doctore suavissimum edit concentum Medicus ille Ultrajectinus, qui omnia principia sequenti disticho est complexus
*Mens, mensura, quies, motus, positura, figura,
 Sunt cum materia cunctarum exordia rerum.*

Et SCHOOCKIUS (qui hos versus exhibet) inquit (α) repudiatis materia prima & formis substantialibus, excepta una anima rationali, principiorum loco agnoscunt materiam corpoream, Motum, quietem, magnitudinem,

nem; situm & figuram. Hæc adduxi, ne quis putaret me aliquid effingere, quod nunquam dictum est, nec ipsi agnoscunt; ultra de his videatur Svicerus. Quoniam vero de motu svavissima agitur comœdia, quærere cœpimus, num motus sit causa Corporum naturalium interna? quod nos negamus sequentibus argumentis moti. *Nulla causa instrumentalis potest esse ejusdem, cujus est ὄργανον, interna constitutiva, nam causa interna influit in esse causati, adeo ut ex causis internis totum constitatur corpus Physicum, causa vero instrumentalis non ingreditur ipsam essentiam, sed extra manet. At motus est instrumentalis causa, quod patet in generationis negotio, ubi insigne & notabile affert formæ auxilium, ad aliud corpus producendum, non tamen ut constitutiva, sed potius ut conditio sine qua non. Ergo non est causa interna constitutiva. Assumatur hoc & resolvatur tanquam vilissimum, interim nos parabimus aliud. Si motus esset principium constituti-*

dum, utiq; omnibus corporibus N. competeret, ea enim est natura Principiorum, ut ex his constent omnia corpora naturalia, alias non possent esse principiage-neralissima; sed specialia. Notanter enim dicit SCHOOCKIUS ante citato loco: *Principia Physica non in hoc aut illo solum corpore naturali locum habent, sed in omnibus* Et ut ex principiis rerum naturalium omnia sunt, ita in omnibus inveniri debent. Hæc fuere verba SCHOOCKII, quæ illustrat exemplo Taletis, qui quidem ex suis hypothefibus potuit demonstrare quorundam corporum originem, sed quia non omnium, damnata sunt ejus principia. subsumimus jam; *At motus non competit omnibus C.N.* quia dantur corpora, quæ nunquam mota sunt, nunc non moventur, nec movebuntur unquam, quam diu in suo statu perseverant, ut Terra, quam immobilem demonstrant Sperlingius, Tycho Brahe & plurimi alii, quæ etiam sententia divinâ innixa authoritate, supra quosvis adversariorum incursus triumphabit. Hinc itaq; con-
 cludi-

cludimus: *motum non esse principium C. N.*
 Quoniam cœpimus colligere rationes,
 placet augere numerum argumēto-
 rum, sequenti ratiocinio prorsus im-
 moto. *Nullum accidens potest esse principium*
C. N. Nam principium Phisicum debet
 constituere C. N, quod est substantia
 materia & forma constans; si itaque
 accidens potest producere substantiam,
 quid tunc fiet de oraculo Logicorum
 & Metaphysicorum saniorum, quin
 etiam omnium, quibus mens sana in
 corpore sano. *Nullus effectus excedit vir-*
tutem suæ causæ. Quantum itaque mon-
 strum introduceretur in Philosophiam,
 si accidens posset producere substanti-
 am, cum doctorum omnium effatum
 sit hoc, nemille quidem accidentia pos-
 se assurgere ad unius substantiæ digni-
 tatem, aut illam producere. Si itaque
 nullus effectus excedit virtutem suæ
 causæ, utiqve nullum accidens potest
 esse principium C. N. at probatum est
 prius, verum itaq; posterius. Jam sub-
 lumimus: *At motus est accidens.* Quod

ita probamus. Motus est ens, quia in se & per se habet essentiam, realem & positivam, erit ergo vel substantia vel accidens, ens enim contrahitur ad inferiora per subsistentiam & inhærentiam *ἀνοπωρήσια* est substantiarum, *ἐνωπήσια* vero accidentium, ut loquitur Frommiius (α) *At motus non est substantia*, quia substantia est ens per se subsistens, motus vero per se non subsistit, nam nam tolle formam, nullibi erit motus (seu ex mente Cartesii, sublata materia nullibi erit motus) *quia nulla substantia perit*, motus vero perit, quod demonstrari potest ex eqvo, quidam movetur, omnino ibi est motus si v. pedem figat, aut ibi est motus, aut non, si non habemus quod volumus, nam motus, est ens successivum, quod habet partes sui esse in fluxu; si motus ibi adest, equus nunc æque bene movetur ut antea, quod omnino falsum, & iudicio oculorum improbatur, repugnatq; primo principio Noologico, impossibile est idem simul esse non esse,

α. *Met. p. spec. c. 1. p. 1. p. m. 470.* qvo.

quomodo ergo equus simul movetur & non movetur? Adhæc, *nulla substantia incurrit in sensus*, at motus incurrit in sensus, quod etiam pueri affirmare sciunt; Pergo. *Substantia substantia non est contraria* motus vero est quieti adeo contrarius, ut in eodem subjecto simul manere nequeat; Ergo motus non est substantia sed accidens. Ex quibus demonstrationibus concludimus: *Motum non esse principium C.N.* Sed dum hæc disputo, recordor, quod grave fit vinci alterius gladio, proprio vero ense, occidi, gravissimo gravius esse, itaque nunc ad eorum libros, qui adversæ parti adhærent, accedo, visurus utrum in iis aliquid inveniatur, quo stringi possint. Ipse ille Cartesius ante citato loco definit motum per *actionem & translationem*, hinc cui natura ingenium candidum haud denegaverat, potest colligere motum non esse principium, quia est translatio, translatio enim est actio, quod autem transfertur, à se ipso non potest transferri, sed ab alio, non vero

â Deo immediatè, ut ipsi volunt, nam Deus se habet ad motum, ut causa *universalis* prima, prima vero causa in naturalibus ordinariè non agit absq̃ concursu causarum secundarum, ut loqvuntur Philosophi, estq̃ Deus quidem causa sed non *immediata, adequata, actu & proxima*, sed remota & *universalis* (a) atq̃ inadæqvata, effectus v. ponit causam proximam & determinatam. Neq̃ translatio potest fieri â *materia subtilissima per totum corpus diffusa*, ut contendit Svicerus (β) siquidem illa est principium passivum, non v. activum, cum essentia materiæ in nuda & inertii consistat mole, nec â se ipsa moveatur, teste eodem Svicero. Relinquitur ergo quod motus sit à forma, motus enim est actio, actiones sunt suppositorum, suppositorumq̃ actiones tribuendæ sunt formæ. Quia incidimus in verba Sviceri, adhuc argumentum, quod ex illis subnasci videtur, nec tere lubet: ponit ille nonnulla requi-

a *Cart. Princ: Pbil. p. 2. §. 36. p. m. 37.* fita,
 β *Physic: Aristotelio Cartes. §. 93.*

sita, quæ in omni motu requiruntur.
 1. *Movens.* 2. *Mobile.* Jam vero movens non est mobile; Et distingvere videtur inter moventem & successionem, seu quod idem, motum, arguuntq; se tum movens & successio *causaliter*, inter causam v. & *causatum* datur reale discrimen, si itaq; successio, sive motus agnoscit aliquod movens, utique non est principium, nam motus dependet à suo movente tanquam causa: dicatur ergò, quomodo motus potest esse simul causa & causatum? Verum missis his, inspicere lubet rationes, quibus contra hanc sententiam pugnatur. Apponemus in eum finem verba Cartesii (a) *Hisce bene demonstratis, rationes hic proponere voluissem, quibus probaretur, illa ipsa principia, quibus ad altiorem istum sapientie gradum pervenitur, duæq; ad istud probandum sufficiunt, quarum prima est, ea maxime clara esse; secunda, ex iis omnia alia deduci posse, cum præter has duas conditiones, nulla alias in principiis desiderentur.*

a in Epist. ad Interp. Gall.

sur. Verum breviter respondemus: 1. ad primum, quod sint clara; etiam principium Taletis maxime clarum est, num ergò illud novæ Philosophiæ sectatores approbant. 2. Quid dicendum foret de infano illo Manete, uti appellatur ab Henrico Welstenio (a) Nonne etiam ille ex hypotesibus suis clare demonstrare poterat plurima naturæ Phænomena? unicum referam. Nugatus est materiam una cum Dæmonibus, igne & aqua impetum fecisse in lucem, qua subita concertatione Deum fuisse coactum, ut mundum conderet, & mixtione materiæ & lucis litem istam sequestraret: Quæ si vera, quam clare, quam perspicue totius mundi originem nobis declarasset. Distingvendum ergo hic est inter demonstrationem Mathematicam & Physicam, illa ex falsis hypotesibus potest deduci (quam forte etiam intellexit des Cartes) hæc vero non nisi ex verissimis hypotesibus. Et nihil est, quod dicitur

a *Nob. Quest. Phil. Decad. 1. q. 7.*

citur Aristotelem hoc probasse, dum ille dixerat *Naturam esse principium motus & quietis*, nam per naturam intellexit materiam & formam, quæ uno nomine vocantur Natura, ut dicunt omnes Peripatetici. Sed nos brevitati studentes hæc & plura alia judiciis submittimus studio partium vacuis candidè Doctorum.

QUÆST. 2.

An hoc effatum cujusdam, Anima movetur: veritati usq; quaq; consensaneum? Neg.

Hoc accuratius scrutari lubet, ut pateat quisnam veritatem attigerit. Sistam illud primo: *Si anima non est in loco, utiq; non potest moveri*, nam motus definitur, quod sit affectio C.N. quâ illud alium atq; alium occupat locum, quod ergo in loco non est, locum non potest mutare, alium atq; alium occupare: *At anima in loco non est; quod contra Tim- plerum probavit ille Philosophorum.*
Phos.

Phosphorus & Theologorum gloria
 Meisnerus (α) validissimis innixus ar-
 gumentis, quæ breviter hic apponi-
 mus. *Ubi est locatio, ibi duo sunt indivi-
 dua*, quorum alterum locus, alterum
 corpus, aut anima & corpus non sunt
 duo individua. E. 2. *locus locatum con-
 tinet*, at animam non continet locus,
 quia anima est in corpore, corpus ve-
 ro in loco, sustinetque potius illa cor-
 pus, teste Zanchio. Plura qui desiderat,
 adeat ipsum Meisnerum: Nos vero ad-
 dimus, quod nullus spiritus sit in loco,
 nec moveatur. Anima est spiritus. E.
 Spiritus enim attributa etiam sunt, *im-
 mobilitas*, quæ negat motum localem,
 & *immensurabilitas*, qua spiritus nec lo-
 co, nec tempore est mensurabilis, ut
 accuratissime docet Reverendissimus,
 Doct: GEZELIUS, Ep. Ab. (β) Idem af-
 firmat acutissimus Scheiblerus (γ) di-
 cens: *Anima immet corpus non existendo
 quasi in cavis partibus corporis, quomodo*
aer

α Phil. p. 1. Sect. 3. l. 9. 3. β Pneu. p. 2. c. 3.
 γ M. l. 1. p. gen. c. 17. tit. 5: a: 21. n. 93.

aër nostrum corpus, aut aqua spongiam, aut ignis ferrum permeat, sed etiam existendo in iis spatiis, ubi proprius locus est ipsius corporis, imo anima, quamdiu forma est, non est alibi, quam in iis spatiis, quae actu occupantur à materia. Si itaq; anima esset in loco, corpus esset ejus locus, at hoc falsum ergo & illud. Hæc etsi clarissima, & fere invictissima rationum sint pondera, tamen huic sententiæ sese opponere Quidam videtur dum, dicit animam moveri, ex occasione quæfiti, An quicquid movetur, ab alio movetur. (a) Ubi πρώτον δευτερον motus dicit esse formam, talibus erumpens verbis: *Forma per se movetur, materia vero movetur ad motum formæ.* Sed nec tantam fidem ipsi habemus, ut cum Pythagoræ discipulis dicamus, αὐτὸς ἔφα, examinanda ergo sunt ejus argumenta: *Quicquid motum intendit, illud per se movetur, non per accidens, formæ in naturali motu, motum intendunt. E. Major non indiget probatione, minor itidem: Verum si accura-*

lingi.

to mentis examini subijcimus hūc syllogismū, deprehendimus propositionem majorem non probatam, quapropter illam negamus, ut e. g. Pater in generationis actu intendit generationem, ergo generatur, Deus intendit motum, ergo movetur, Deus intendit creationem, ergo creatur, atque sic dum corruiat major, argumenti vis exspirat. Verum dum hæc oculis accuratioribus perlustramus, invenimus ex eo assertum probari, quod anima moveatur, quando sc. corpus movetur, & quando anima partem appositam ingreditur. Fateor hoc ita videri, si velimus nimis credere vulgo, sed si velimus cum doctis loqui, non possumus hoc facere. Respondet ad hoc Toletus, dicendo, *quod aliquid tripliciter dicitur moveri. 1. per accidens. 2. Secundum partem. 3. per se, applicat. Ubi nota, quod anima se ipsam movet & movetur, movet quidem per se corpus, movetur quidem per accidens ad motum corporis ob id se ipsam movere dicitur per accidens*
secun-

secundo aliquid se ipsum movere dicitur per partē,
eo quod secundum unam partem movet, secun-
dum alteram movetur, & hoc modo anima-
lia se movere dicuntur movent quidem ratio-
ne animæ, moventur ratione corporis. Dico
autem per se, nam per accidens simul etiam a-
nima movetur ad motum corporis, & sic to-
tum animal movetur secundum totum, sed se-
cundum corpus per se, secundum animam per
accidens. Verum hanc responsionem
nostram non facimus, ideoq; distingvi-
mus inter variationem τὸ ὕψος & muta-
tionem loci: sic anima in appositam par-
tem se insinuat non plane obcondito mo-
do, sed variatione τὸ ὕψος, quod tn. non
arguit animam moveri, non enim suf-
ficit ad motum localem proprie sic di-
ctum, nuda mutatio ubi, nec qualis-
cumq; prioritatis & posterioritatis ra-
tio, ut acutissime docet Meisnerus, sed
requiritur insuper locatio proprie sic
dicta & aliqua successiva per medium
motio. Nam si nuda mutatio ubi esset
mutatio loci, etiam angeli moverentur,
quia dum à cœlo ad terram descen-
C
dunt

dunt, maxime mutant *ubi*, non tamen moventur, nisi quis vellet hoc affirmare, & cum Timplero falsa adstueret. Quocirca optime refutari possunt objectiones allatæ, distinguendo inter mutationem $\tau\delta$ *ubi* & mutationem loci, illam animatus concedimus, hanc negamus. Verum continuatur oppositio his verbis: *Pars movens in motu naturali & movebit & movebitur, anima avicula & movebit corpus & movebit se ipsam.* Sed si hic Scholæ Logicorum consulantur, planum ficit, quomodo *movere* & $\tau\delta$ *moveri* sibi invicem opponuntur, & responsum manebit: *Unum subjectum non potest simul capere duo opposita, nec possunt illa eidem attribui*, ut loquitur Conradus (a) Notandum vero breviter, motus consideratur vel *effective*, vel *subjective* si *effective* potest tribui formæ tanquam suæ causæ, si *subjective*, quod intendit non nemo, non item, quia tum competit, soli materiæ. Antequam vero claudamus hunc discursum

sum, audire etiam lubet, quale Cartesii sit de hac re iudicium; ait ille ante citato loco: *dico esse translationem, non vim vel actionem, qua transfert, ut ostendam illum semper esse in mobili non movente*: ex quo colligimus: Si motus non est in movente, sed in mobili, utique anima, quæ est movens non movetur, at verum prius iudicio subtilissimi Cartesii, ergo & posterius.

COROLLARIA.

- I. Inveniuntur & hodie inveniuntur nonnulli, qui eos, qui terminis Scholasticis seu Philosophicis, in exprimendis mentis conceptibus utuntur, damnare audent, sed intempestivum eorum est iudicium, si moderatum etiam usum fastidiunt.
- II. Illorum sententia non est absurda, sed cum antiquissima veritate

te fovet harmoniam, qui statu-
unt dari formas substantiales.

III. Nihil & aliquid non sunt speci-
es $\tau\delta$ Cognoscibilis.

IV. Quamvis, de hoc axiomate
sol virtualiter est calidus, dubita-
ri possit, tamen est verissimum.

V. Recte & non sine summo ju-
dicio statuit Meisnerus, quod
Angeli nec in loco sint nec mo-
veantur.

